



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1000. Usque Ad Annum 1063

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117956

§. 1. Ottonis III. profectio ultima in Italiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66323)

PEREGRINANTES JEROSOLYMAM.



HISTORIA ECCLESIASTICA.

LIBER LVIII.

SILVESTER II. PAPA.
OTTO III. IMPER. OCCID. BASILIUS ET
CONSTANTINUS IMP. ORIENTIS.

§. I.

*Ottonis III. in Italiam pro-
fectio ultima.*

Cum Otto III. Imperator supe-
ratis alpibus anno millesi-
mo Ticini versaretur, S. Ro-
mualdo auctore, prope Ravennam Mo-
nasterio

Saculum X.

A. C. 1000.

vit. Rom.

n. 52.

Hist. Eccles. Tom. XIV.

A

naste-

Sæculum X. A.C. 1000. nasterium S. Adalberti honori Sacrum fundavit. Cumque S. Romualdus insta-

ret, ut, quod in altera Romana professione promiserat, relicto mundo Monachum indueret, affirmavit Imperator, id se effectui daturum, postquam Roma, re-
Sup. lib. LVII. §. 52. belli sibi urbe, domita, Victor Ravennam repetiisset. At S. Romualdus respondit: *Si Romam ieris, nunquam Ravennam redibis.* Tum disertis verbis ei denunciavit, brevi moriturum, & quia obfirmatum ab incepto revocare non potuit, tristis recessit.

Ubi Otto Imperator Romam pervenit, celebrato Domini Nostri Natali, in
Chr. Hildes. Fragm. Insula Tiberis Ecclesiam ædificavit, honori S. Adalberti Pragensis dedicatam, *Sæc. 5. Aët. Ben. p. 873.* cujus Sancti manus auro & gemmis infertas attulerat, & quia aliorum quoque Sanctorum Reliquiis hanc Ecclesiam decorare cupiebat, ubicunque potuit, Sacra Lipsana conquiri iussit. Compererat, in Ecclesia SS. Abundii & Abundantii prope montem Soractem complura Martyrum corpora servari; itaque missis illo Episcopis, Clericis, monachisque, ea in Ecclesiam S. Adalberti solemnī pompa transferri curavit.

Chr. Can. l. II. c. 24. Ferunt Ottonem Imperatorem etiam S. Bartholomæi corpus in hanc Ecclesiam inferre voluisse, quod postquam a civibus Beneventanis expetiisset, idque ipsi cru-

crude denegare non auderent, decepta ipsius pietate, corpus aliud, nempe S. Paulini Nolani transmisisse. Ut ut res se habeat, credunt Romani, se tam unius quam alterius corpus in illa Ecclesia habere, quæ jam diu nomen a S. Bartholomæo, æque ac Insula in qua posita est, accepit.

Benedicti V. Papæ quoque ossa Ham-
burgo Romam Otto III. transferri iussit,
secundum ejusdem vaticinium. Nam in
exilio suo versatus dixisse fertur: *Mo-
riendum mihi in hac terra, quæ deinde In-
fidelium armis vastata, ferarum futura
est receptaculum. Non erit huic Regioni
pax constans ante translationem corporis
mei; sed postquam in Patriam rediero,
spero per intercessionem SS. Apostolorum
futurum, ut Pagani quiescant.* Huic præ-
dictioni eventus respondit, cum Sclavi
multis annis Saxoniam Ecclesias afflixerunt.
Curam transferendi corpus Be-
nedicti Papæ, jubente Imperatore, in se
suscepit Raco Bremensis, ex Capellanis
Principis vir piissimus, quem ad Digni-
tatem Episcopalem evehere volens Otto,
eidem gravi morbo decumbenti Bacu-
lum pastorem tradidit. At ægotans,
priusquam consecraretur, e vita de-
cessit.

*Ditm. l. IV.
p. 47.*